

conditionem: Nisi legitimam excusationem habeat. Et nisi sit iuste impediatur.

1694. Si autem sub juramento promissisti solvere centum aureos, centum coros tritici, &c. potes uti compensatione non solvendo, si alter tibi debeat totidem aureos, aut coros tritici; quia compensatio est quædam solutio, & satisfactio; quod est verum, tam in debitis post, quam ante juramentum contractis; quia juramentum est interpretandum fuisse emissum ad jurante, ea intentione, quæ sibi utilior, & commodior.

1695. Quod si, quando juravit, habuit expressam intentionem non utendi compensatione, & eam declaravit, non potest compensatione uti. Si verò non declaravit, sed tacite retinuit, potest compensatione uti; quia promissio illa sub ea qualitate non utendi compensatione, cum non fuerit declarata, non fuit à creditore acceptata; adeoque non obligat.

1696. Qui juravit non revelatur secretum, non tenetur, quoties habet jus manifestandi.

1697. Rectores, &c. qui jurant servare secretum super iis, quæ in confessorio tractantur, sub mortali tenentur, juxta gravitatem rei, quæ tractatur. Aperire aliquid, quod non cedit in damnum, aut præjudicium Reipublicæ, publici officii, aut tertii esse veniale, ait Anton. à Spir. S. tom. 1. tract. 5. disp. 1. sect. 21. num. 153. cum Sanchez & Palao.

1698. Officiales, qui jurant servare taxam à Principe præscriptam, ad illam tenentur; & si plus accipiant, restituerent debent. Nec obstat consuetudo in contrarium, si sit, quod Officiales plus recipiant clam, & Princeps non consentiat, sed sciens puniat.

1699. Juramentum, quod Medici emittunt de servando Decreto Pii V. quod est, ut infirmum moriantur de Sacramentis, & tertia die non visitent, si confessus non sit: est intelligendum, prout Decretum Pii est in usu. Anton. à Spir. S. cit. Qui addit, Decretum Pii fuisse consuetudine abrogatum.

1700. Scholasticus interrogatus: An locus fuerit cum aliquo ex oppositis, aut illius domum fuerit ingressus, potest respondere negative, si verba, aut ingressus domus non fuerint subornationis causa; quia hæc esse debet mens iudicis interrogantis. Anton. à Spir. S. cit. sect. 6.

CONDITIONES IN JURAMENTO.

1701. Promissio & inde juramentum ei adiacens, plures condiciones generales tacite involvit. 1. Si potero; quia ad impossibile neminem tenetur. 2. Si licet; quia promissio non est vinculum iniquitatis. 3. Salvo jure, & auctoritate Superioris; quia nemo potest se obligare in præjudicium Superioris; unde hic in materia præjudiciali potest juramentum irritare. 4. In promissione mutua: Si alter fidem servet. Ex Reg. 75. Juris in 6. Frustra sibi quis fidem postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat. 5. In Donatione: Si alter ingratus non existat. 6. In fideiussione: Si principalis excu-

riatur: Unde qui sub juramento fideiussit, non obligatur solvere, nisi prius principalis excusatur. 7. Si is, in cuius gratiam facta est promissio, acceptaverit, aut saltem tacite non renovaverit. 8. In quavis promissione, aut juramento: Si res non fuerint notabiliter mutata.

1702. Hinc, qui cum juramento promissit nuptias puellæ diviti, virgini bonæ famæ, sanæ &c. si hæc evadat pauper, non habens dotem competentem, desolata, malæ famæ, infirma, non tenetur illi stare. Neque qui promissit contractum societatis, si socius notabiliter rixosus, & molestus evadat, &c.

1703. Imò non teneris implere juramentum de ducenda in uxorem muliere, cum quæ es fornicata, si illa evadat fornicaria, vel accidat aliud impedimentum contrarium legi dispositionis, ut si evadat leprosa, paralytica, vel notabiliter deformis. Si verò eam duxisti, non potes dimittere. C. Quomodo, de Jurejur.

IV. REGULA.

1704. Juramentum non confertur factum in præjudicium tertii. cap. Venientes cum contingat, de Juram. Et cap. Quamvis pactum, de Pænis in 6. quia esset illicitum.

1705. Hinc, qui juravit solvere centum Petro creditori posteriori, debet ea solvere Paulo creditori anteriori, si alia non habeat.

1706. Item licitum est revelare secretum naturale juramento firmatum, si sit gravior alteri, aut sibi nocivum. Diana p. 6. tract. 6. ref. 60. Tamb. tom. 1. pag. 292. num. 21. Quia nemo intendit se obligare alteri ad secretum naturale in concursu gravis mali proximi & maxime proprii, nemo enim magis proximus est, (ait Diana) quam quisque sibi. Tùm quia secretum illud est veluti quoddam depositum apud me occultatum, quod non teneor cum tanto incommodo servare occultum.

1707. Suae tur à pari: Non minus namque habet quis jus ad famam, quam ad secretum; & tamen licitum est detegere crimen occultum alterius, v. gr. quod famulus sit fur, &c. ad vitandum grave malum proximi, & maxime proprium cit. DD. cum Comm. Ita est dicendum in casu secreti naturalis, quoniam sicut nemo habet jus ad famam cum damno proximi, & innocents, sic nemo habet jus ad secretum naturale cum damno proximi, & innocents.

1708. Hoc autem est intelligendum cum triplici limitatione. 1. Si secretum non concernat bonum publicum, pura Fidei, Regni, Patriæ, Exercitus, sed particulare; quia bonum publicum est præferendum privato. 2. Si non sit alia via ad malum vitandum. 3. Quod reveletur illi, cui prodesse, & non obesse potest.

1709. Non tenet juramentum præjudicans juri Superioris, cap. Venientes, de Jurejur. Nec contrarium Juri, cap. Ad nostram, ibid. Contra utilitatem Ecclesie.

siæ. Greg. XIII. Const. 93. Inter Apostolicas. De non testificando contra aliquem, cap. Constitutus, de Testibus.

1710. Tenet juramentum factum in damnum proprium, si potest sine peccato servari. Conc. Lateranense 3. tit. de Juram. cap. 3. Sed potest relaxari, ibid. cap. 1.

DUBIUM IN JURAMENTIS

1711. Resolvatur, ut in votis infra à num. 1902.

CESSTATIO JURAMENTI

1712. Contingit, ut in votis infra à num. 1906.

1713. Juramenta in utilitatem hominum præstita irritare possunt omnes, qui habent potestatem dominativam. Dividit, si sit eis subjecta voluntas jurantis. Indirectè, si sit eis subjecta materia juramenti.

1714. Hinc Papa potest irritare juramenta de renunciando beneficio, de non alienandis rebus Ecclesie, &c. quia sunt de materia subjecta dispositioni Papæ.

1715. Superior Regularis juramenta subditorum; quia ratione voti obedientie, eorum voluntas est plenè Superiori subjecta.

1716. Vir respectu uxoris, uxor respectu viri & dominus respectu servi, si juramenta illis præjudicent, aut sint de materia illis subjecta, uti dicimus de votis.

1717. Juramenta verò promissoria hominis, cuius voluntas non est alteri subjecta, de materia, quæ pariter non est alteri subjecta, nec præjudicans, facta homini, & ab eo acceptata, non possunt commutari, etiam in melius, nec dispensari, nec irritari nisi ipsa pars consentiat aut remittat, ut in num. 1687. Quæ remissio propriè non est relaxatio; quia non est actus jurisdictionis spiritualis, nec irritatio; quia non est actus potestatis dominativæ, sed reducitur ad irritationem, quatenus est actus domini in materiam promissam, utpotè acceptatam.

1718. Potestas relaxandi juramenta competit soli Superiori, & iudici Ecclesiastico, quia est actus jurisdictionis spiritualis, quoniam juramentum est actus Religionis. Unde licet Princeps temporalis circa res, in quas est dominus, possit remittere, seu irritare juramenta, non minus quam quilibet privatus circa alias res, ut in casu injuriæ, metus, vis, &c. de quibus supra: relaxare spectat ad potestatem Ecclesiasticam. Anton. à Spir. S. Palao disp. 3. de Juram. p. ult. num. 4.

1719. Ex Concil. Elibertino: Pueri ante annos quatuordecim non coguntur jurare. Puella quoque, si in puerili ætate in domo Patris, illo nesciente, se juramentum constrinxerit, & si pater statim, ut audiverit, contraxerit, vota ejus, & juramenta irrita erunt.

1720. Cause relaxandi juramentum sunt, fuisse

extortum cum injuria, iniuria, vi, metu, vel fuisse emissum cum temeritate, ira, perturbacione, aut levitate, vel quia fuit emissum in favorem excommunicati.

JURAMENTA IN DEI GLORIAM PRÆSTITA

1721. Possunt commutare, dispensare, & irritare qui possunt respectivè vota.

1722. Juramentum in Dei gloriam emissum potest quis in melius propria auctoritate commutare.

1723. Confessarii Regulares habent potestatem commutandi juramenta, & vota secularium, & extorcorum, ac in iis dispensandi, exceptis quinque reservatis, quæ tamen in nullo deficient; quia aliis non sunt reservata; de quibus infra de Votis. Et exceptis juramentis promissoriis à tertio acceptatis. Ex privilegio Pauli III. per Bullam 7. Cum inter tantas, 1. Junii 1545. quoad vota, extenso ad juramenta à Greg. XIII. Rodr. tom. 1. quest. 63. Diana part. 3. tract. 2. ref. 9. Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 7. §. 3. à num. 8. Anton. à Spir. S. in Direct. Regular. tract. 2. disp. 3. num. 80. Vide num. 1962.

1724. Insuper rescindere possunt tractatus, & juramenta relaxare, ab uxore, aut filios familiaris, ex metu gravi reverentialis, aut precibus importunis emissa ad favorem mariti, aut parentis, ut fideiussio pro marito, aut patre; promissio de solvendis eorum debitis; renunciatio hæreditatis juramento firmata. Diana part. 3. tract. 5. ref. 20.

1725. Ubi ait: quod duplex fit reverentia, una simpliciter, & in gradu positivo, altera nimia, & in gradu superlativo. Prima est, quando persona Patris talis conditionis est, ut ei debeat reverentia simpliciter, ut si sit ignava, aut vilis, ita ut filius audeat dicere: Nolo: tunc ad constituendum metum reverentialem gravem, non sufficit sola præsentia, sed requiritur, quod præcedat verbera, aut minæ. Secunda est, quando persona Patris est talis conditionis, ut ei debeat reverentia nimia; & tunc sola præsentia ejus sufficit ad constituendum metum gravem.

1726. At nec Episcopi, nec Regulares dispensare possunt in juramentis, quæ adjacent actibus ex se perpetuis; hujusmodi est juramentum professionis fidei, juramentum, quo quis confirmet professionem religiosam jam emissam, matrimonium jam initum, & statum Sacerdotis jam susceptum. Tamb. cit.

1727. Si iurasti in Dei gloriam, & charitatis intuitu certam dare elemosinam determinato pauperi, potest pauper obligationem remittere; quia in hoc juramento tacita adest conditio: Dammodo si pauper, in cuius commodum promissio facta est, remissionem acceptare non recusat. Si verò nullum determinasti pauperem, nullus erit, qui obligationem remittat. Anton. à Spir. S. de Juram. tract. 5. disp. 1. sect. 28. num. 192.

RESTRICTIO MENTALIS

1728. EST duplex, purè mentalis, & est quando significatio vocalis à sua generalitate contrahitur præcisè per actum internum: ut si quis requisitus, an illac transierit Petrus, respondeat: *Isaac non transiit*: per solum actum internum mentis intelligens per maniam. Non purè mentalis est, quando significatio vocalis à sua generalitate contrahitur, non per solum actum internum, sed per aliud additum exterius, quod sit limitativum verborum, & significativum cum illis, ut cum D. P. Franciscus à ministris iustitiæ requisitus, an illac transisset delinquens, positis intra maniam manibus, respondit: *Isaac non transiit*, plenam responsum ex verbis, & actione externa componens.

1729. Amphibologia, & æquivocatio est, quæ importat sensum diversitatem: quod si verba determinatè unam habent significationem, & alia addatur per purum actum internum mentis, dicitur æquivocatio per puram restrictionem mentalem, ut liquet in primo exemplo. Si verò verba, & signa externa ex se habere possint plures sensus, & significationes, dicitur æquivocatio externa, non purè mentalis: his præmissis.

1730. Dico 1. Restrictio purè mentalis, & amphibologia, seu æquivocatio facta per restrictionem purè mentalem est illicita, quia includit mendacium, quod est ab intrinseco malum tunc enim habetur mendacium, quando locutio externa est difformis menti: talis est locutio cum restrictione purè mentali: unde, si tu, qui pisces comedisti, interrogatus, an comederis, respondeas, *non comedisti*: mente sola addendo *carnem*, mendax es, & si addas juramentum, es perjurus; quia locutio tua absoluta est generalis, ac proinde est difformis conceptui mentis, qui est propositio cum addito particularis; hinc amphibologiam, & æquivocationem cum restrictione purè mentali damnavit Innoc. XI. in tribus Prop. 26. 27. & 28. quas vide in pag. 4. vide num. 1757.

1731. Dico 2. Restrictio non purè mentalis, sed externa, & amphibologia, seu æquivocatio per verba, aut signa externa per se æquivoca, est licita in omnibus casibus, in quibus quis habet jus ad occultandum secretum, non est autem licita in aliis casibus. Prima pars probatur; quia talis locutio externa, licet haud faciliter ab audiente percipiatur, quantum est ex se, habet significationem conformem conceptui interno mentis loquentis, nec est sic facta animo decipiendi, sed occultandi secretum, ad quod celandum habet jus, adeoque non includit mendacium (Mendacium namque definitur: quod sit enuntiatio falsa cum conscientia oppositi, & cum voluntate fallendi) ac proinde est licita, & addi potest juramentum sine perjurio, imò etiam licitè, si ad sit rationalis causa jurandi.

1732. Hujusmodi autem restrictio externa significationis generalis verborum potest dupliciter fieri, primò per verba ex se æquivoca, secundò per circumstantias, & signa externa, quæ ex se habent verba limitare, & consignificare cum illis; locutio namque non fit solis verbis, sed etiam completur ex circumstantiis personæ, loci, temporis, & negotii, de quo agitur, ac ex signis externis: hinc, si quis pro aliqua gratia rogatus respondeat: *faciam*, sed simul manum erga tergum vertat, idem dicit, ac: *non faciam*.

In qua re est maximè attendendum, quod sicut diversæ sunt humanæ materiæ, ita quælibet proprium habet modum loquendi, & propria vocabula; proprium inquam habet Poesis, proprium Rethorica, sic Tropus, Ironia, Hyperboles, &c. sic & proprium habet secretum de jure occultandum: qua consideratione multæ locutiones, tam humanæ, quam Sacræ Scripturæ à mendacio liberantur, ut est illa, qua amicus amicum alloquitur dicens: *Omnia mea sua sunt, &c.*

1733. Hinc Confessarius interrogatus de muliere (cujus adulterium in confessione cognovit) an mulier adulterium commisit, non debet tacere, quia qui tacet, consentire videtur; sed licitè respondet: *Nescio, non commisit, &c.* mente retinendo, ad dicendum, quia hoc additum internum restrictivum satis exprimitur per circumstantiam externam sigilli, & Sacramentalis confessionis, quæ cum verbis locutionem complet conceptui mentis conformem.

1734. Sic alius à marito interrogatus de occulto adulterio uxoris nobilis, respondet: *Nescio*, retinendo in mente, ad dicendum, quod additum exprimitur per circumstantiam externam negotii, & sigilli naturalis: imò si id habuerit ex auditu, potest accipere verbum *nescio* secundum propriam, & rigorosam significationem, prout negat scientiam, quæ cognitionem evidentem importat, quam non habet ille, qui notitiam ex auditu hominis fallibilis accepit.

1735. Sic reus, semiplena probatione, aut infamia non præcedente, à Judice interrogatus, an delictum fecerit, licitè respondet: *non feci*; mente addendo: *ad dicendum tibi tanquam Judici*. Idem, si interrogatur à Judice incompetente: in quibus, & similibus casibus, responsio est facta conformiter ad mentem interrogantis, quia Judex interrogat ut persona publica, & consequenter de delictis ipsi tanquam Judici de jure manifestandis: unde, si juramentum exigatur, non erit perjurium.

1736. Sic Minister S. Officii, qui est ligatus juramento servandi secretum, super aliquo arcano requisitus potest celare; modo, quo Confessarius, dicendo: *Nescio* nam intelligitur, quod nescit, ut homo privatus est, quod subintelligitur non ex restrictione mentali, sed ex ipso intrinseco Officio Confessoris, &c. Item potest uti circumlocutione: *Gauderem quidem id scire, ut tibi satisfacerem*. Quo pacto

AD PRIMUM

1741. RESP. cum distinctione: Vel enim stoliditas est talis, ut plenam advertentiam malitiæ gravis perjurii impediatur, vel non. Primum potest contingere, quatenus ex Judicis præsentia, & inexpectata ejus interrogatione excitatur in reo vehementissima passio sensitiva, quæ ita ejus rationem perturbat, ut non advertat ad malitiam gravem perjurii, taliter quod quasi nesciat, quid dicat, aut faciat, & si advertit, non plenè, & distinctè, sed in confuso. Et tunc certum est, reum à perjurio mortali excusari; quia ex communi, & certa Theologorum doctrina ad peccatum mortale requiritur voluntarium perfectum, videlicet, quod actus sit patrus cum plena advertentia malitiæ gravis, & cum pleno voluntatis consensu, ita ut ex alterius defectu excusetur quis à culpa mortali. Ut infra de Peccatis.

1742. Vel non impedit: Quatenus Judicis præsentia, & interrogatio reum terreat, ob timorem pœnæ, quam prævidet; quia ex communi, & certa Theologorum doctrina, ut non advertat, sed plenè advertit ad crimen, quod commisit, & ad gravitatem perjurii. Et quidem mortaliter peccat, & est tam in foro interno, quam in externo perjurus, si veritatem neget, aut utatur æquivocatione cum restrictione purè mentali; quia est mendax, & juramentum mendacio addit. Imò etiam mortaliter peccat, si utatur æquivocatione, & restrictione non purè mentali, sed externa, quia reus legitime interrogatus tenetur sub mortali de plano respondere secundum mentem Judicis interrogantis. Melphi in Præc. Crim. verb. Reus, Scaccia cap. 18. num. 49. cum communi. Vide num. 1738.

Quia sic exposcit humana societas, & bonum publicum Reipublicæ, quæ perturbaretur, & periret; nullus namque esset de suo honore, re, & vita securus, si absolute liceret reis, non respondere secundum mentem Judicis legitime interrogantis, sed æquivocationibus, & restrictionibus externis juxta propriam mentem.

Unde quamvis ob externationem conscientia propria liberaretur à mendacio, & inde à perjurio, quatenus enuntiatio cum externatione illa non esset opposita, sed conformis conceptui propriæ mentis: liberari non posset à culpa mortali, in quantum non esset conformis menti interrogantis. Imò in foro externo haberetur perjurus.

Tum, quia tenemur obedire superiori justa recipienti. D. Thom. 2. 2. quæst. 69. art. 1. & 2.

1743. At in praxi: quod stoliditas ex præsentia Judicis mentem rei ita perturbet, ut plenam advertentiam tollat, raro, aut nunquam contingit, & non nisi in persona maximè pusillanimitatis. Regulariter autem advertentia non tollitur, sed potius acuitur, ut constat ex astutijs, quas rei speculantur, & quibus utuntur in respondendo, ut delicta occultent, aut minuant.

to nec affirmat, nec negat id scire. Cardenas differt. 19. cap. 6. num. 60.

1737. Eodem modo discurret Busemb. de Juramento exacto per vim, metum, injuriam, v. gr. à latronibus, ut tu liber factus des lytrum; à marito, ut uxor fateatur adulterium occultum, si tale juramentum sit additum restrictioni non purè mentali, sed externæ, vel per signa externa determinata, vel per verba ex se æquivoca sufficientia ad internam restrictionem significandam. Vide num. 1648. 1676.

1738. Secunda pars assertionis probatur; in alijs namque casibus, in quibus quis non habet jus occultandi, non est licita in locutionibus restrictio externa, præfato modo explicata, non quia includat mendacium, sed quia humana societas, & humanum commercium exposcit, ut utamur vocabulis secundum communem significationem; nam æquivocationibus, & signis difficilibus captu, humanum commercium perturbatur.

1739. Quæ ratio cessat in prioribus casibus, quia in illis commercium humanum potius justificatur, quam perturbatur; nam humanum commercium non debet esse contra jus humanum: nec officit, quod regulariter ex talibus locutionibus decipiat audiens, quia id per accidens sequitur, nam intellectus perpicax potest veram significationem locutionis percipere, & simul imprudentiam suæ interrogationis advertere, si signa, verba, circumstantias externas, & gravitatem rei, atque jus alterius de secreto occultando consideraret; signa namque supponuntur per se significativa, & restrictiva conformiter ad mentis restrictionem, atque perceptibilia: & sic loquens intendit celare secretum, ad quod habet jus; minimè audientem decipere, nec ejus deceptionem, quam prævidet, vitare tenetur cum suo, aut aliorum gravi incommodo, quia tunc est deceptio accepta, non data, ut de scandalo passivo num. 326.

DE JURAMENTO JUDICIALI.

1740. CLaritas gratia hoc quæsitio me expediam.

QUÆRES:

AN à perjurio, & à mortali excusetur reus, qui Judici interroganti veritatem tacet, aut amphibologij & æquivocatione utitur?

Primò: Ob stoliditatem ex Judicis præsentia causatam?

Secundò: Si non præcessit infamia, semiplena probatio, nec gravia indicia extent?

Tertiò: Si præcessit semiplena probatio, causa tamen sit capitalis, aut ex gravioribus, puta mortis, jacturæ honoris, aut suorum bonorum?

Hic est sermo de Reo, quia de teste satis agitur in tract. de Denuntiationibus, tom 2. maximè à num. 73.

AD SECUNDUM
 1744. **R**esp. excusari à perjurio, & à mortali. Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 4. §. 3. num. 2. Delbene tom. 1. pag. 563. num. 18. Caltrop. Diana, & Com. apud ipsum; quia tunc Judex non legitime interrogat; unde reus habet jus occultandi, & inde potest licite tacere, aut æquivocatione, ac restrictione uti, scilicet externa per circumstantiam Judicis; Judex namque interrogat ut persona publica; adeoque de delictis Judicis de jure manifestandis; unde reus si neget crimen, quod patravit dicendo: non feci, intelligendo, ut manifestandum tibi tanquam Judicis, verum dicit, & Judex, hanc restrictionem externam per circumstantiam judicii, potest satis advertere, si non sit legitimus aut non legitime interroget, quatenus nulla præcessit semiplena probatio, &c. Vide à num. 1734. ad 1735. quia bonum publicum exposcit, ut reus, aut telis parat legitimo Judicis, & legitime interroganti.

1745. Idem docet Simanca tit. 24. num. 13. de Hæretico occulto; quia Matth. 11. Jugum Domini suave est, & onus leve: esset autem res gravissima obligare aliquem, ut se prodas sine iudicis interrogatus. Unde D. Chrysof. super Epist. Pauli ad Hebr. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses, sed obedi te solo Propheta dicenti: Revela Domino viam tuam.

1746. Ut igitur reus teneatur de plano, & sine æquivocatione respondere, requiritur, quod Judex fit legitimus, nimirum quod habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam in reum. Et quod legitime interroget; quod jure fit, quando præcedit semiplena probatio delicti, vel infamiae, aut præcedunt indicia probata, quæ semiplena probationi æquivalent, quod debet reo notificari, alias potest reputare suum crimen occultum, & inde celare; sicut enim nemo obedire tenetur ante legis promulgationem, ita nec reus Judicis, antequam notificet se juridicè interrogare. Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 4.

AD TERTIUM
 1747. **P**rima sententia negat excusari à perjurio, & à mortali, si semiplena probatio præcesserit. D. Thom. 2. 2. quæst. 69. Sanchez lib. 6. Conf. cap. 3. dub. 29. Peña, Toletus, & alii 25. Doctores antiquiores, quos refert, sed non sequitur Cardenas dissert. 19. cap. 5. num. 78.

Ratio est; quia inter partes justitiæ præcipua est obedientia, qua tenemur Superiori legitime, & iuste præcipienti obedire; sed præcedente semiplena probatione, Judex legitime, & iustum præcipit reo dum præcipit sub juramento, ut fateatur veritatem: igitur tenetur reus sub juramento obedire, fatendo veritatem.

Secundò; quia jus præcipiendi, & jus obediendi sunt correlativa: igitur implicat, quod Judex legitimus habeat jus præcipiendi reo, & reus non obediendi, sed occultandi.

Tertiò; quia aliàs publicum Reipublicæ bonum rueret, quoniam sub hac spe impunitatis grassaretur delicta.

1748. Secunda sententia affirmat excusari à Reo. dr. tom. 2. art. 4. Portellus tit. Correctio frat. verb. Reus, num. 43. Villalobos tom. 2. tract. 16. diff. 1. num. 16. Malderus tract. 6. cap. 2. de Justitia. Sa in Aphor. verb. Actus Judiciales, tit. de Reo, num. 47. Diana p. 1. tract. 15. ref. 27. Saleedo in Pract. Crim. Tancr. de Relig. tract. 4. lib. 3. num. 30. Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 4. §. 3. num. 7. De Lugo tom. 2. de Justit. disp. 40. sect. 1. num. 14. Filiuc. Fagundes, Caltrop. & quamplures alii, quos novissimè citat, & sequitur Cardenas dissert. 19. cap. 7. num. 81. Qui docent excusari non solum in causis capitalibus, & gravioribus jactura honoris, aut suorum bonorum, verum etiam, si poena sit trimerium, exilii, aut carceris plurimum annorum, puta duorum; quia est gravis. Imò Tancr. cit. num. 32. idem tenet, si poena sit spiritualis, ut excommunicatio major; quia est poena gravis. Contra Panorm. Busemb. & alios plures.

1749. Et tunc dicitur excusari à perjurio celando veritatem per restrictionem, aut æquivocationem externam, respondendo: Non feci: subintelligendo, ad dicendum tibi sub culpa; ad me prodendum. Et si delictum est sacramentaliter confessus, & de eo absolutus: sum innocens, & immunis ab hoc delicto, ab hac culpa; quia tunc restrictio est satis externa à circumstantia poenæ gravis quæ sequeretur; unde id, quod subintelligitur, subintelligitur ex circumstantia extrinseca poenæ gravis.

1750. Ratio potissima hujus sententiæ est, quia leges, & præcepta humana non obligant cum periculo vitæ, aut alterius notabilis mali, ut sunt prædictæ; sed præceptum Judicis est humanum, & positivum, & confessio criminis, licet de eo semiplena probatio præcedat, est cum periculo vitæ, aut alterius notabilis mali: igitur non tenetur reus sub mortali, & perjurio tunc crimen fateri, licet de eo semiplena probatio præcedat; sed potest illud celare modis, quibus supra. Major constat cum Com. in materia de legibus, nam præcepta humana non possunt se extendere ad id, quod est moraliter impossibile; id autem, quod est multum difficile reputatur moraliter impossibile; talis est confessio criminis in concursu alicujus ex præmissis malis, licet semiplena probatio præcesserit: multum quidem difficile est, imò onus supra vires naturæ obligare aliquem, ut concurrat ad sibi mortem, aut malum grave insigendum.

1751. Hic faciunt autoritates, quas adducit Simanca in solutione secundæ quæstionis num. 1745.

1752. Ad primam rationem in oppositum respondentem: inter leges humanas certum est, plures esse, quæ obligant ad culpam, & plures, quæ ad solam poenam; hujusmodi est præceptum Judicis, quod solum obligat ad poenam.

1753. Ad secundam: Jus præcipiendi sub culpa,

pa, & jus obediendi sub culpa sunt correlativa, nimirè jus præcipiendi sub poena, & jus obediendi sub culpa; adeoque implicat, quod Judex habeat jus præcipiendi Reo sub culpa; & Reus non habeat jus obediendi sub culpa, at non implicat, quod Judex habeat jus præcipiendi sub poena, & Reus non habeat jus obediendi sub culpa.

1754. Ad tertiam, negat sequelam; quia suppetit Judicis alia via, ut veritatem inveniendam; nempe inquirendo alios testes, comminando, aut dando Reo torturam, absque eo, quod illum ad confessionem proprii criminis obliget sub culpa.

1755. Ad id, quod contra hanc solutionem insurgit Gonet, quod non liceret Judicis Reum ad confessionem criminis capitalis semiplenè probati per torturam cogere; quia iniquum est ad id aliquem cogere, quod præstare non tenetur.

Respondet Cardenas cit. num. 85. cum distinctione: *Itaque est quæquam ad id cogere, quod præstare non tenetur, neque sub culpa, neque sub poena, omittit quod præstare non tenetur solum sub culpa, nego.* Et addit experientiam plurium legum civilium, quæ obligant solum sub poena, & tamen ad illas potest adstringere Judex.

1756. Et Thomas Delbene, qui in tom. 1. de Inquit. p. 563. num. 17. hanc Sententiam non improbabilem putat, in tom. 2. pag. 463. num. 35. absolute eam docet, hac motus ratione; *quia tunc jus, & præceptum Superioris non est accommodatum, seu conforme fragilitati humane, cum vix ex mille nulli illud esset observatum.*

1757. Denique addit Cardenas per tres propositiones ab Innoc. XI. damn. damnam restrictionem mentalem, de qua num. 1730.

1758. Ita discurrunt rectè Theologi: mihi sufficit retulisse, nam Port. cit. concludit his verbis: *Et eos, qui hanc opinionem tenuerunt cum Rodriguez, non damnabo ob tot viros, & ob talem rationem.*

1759. Illud certum est, non teneri Reum, si crimen negavit, post latam Sententiam, sive absolutam, sive condemnatoriam, illud fateri; sed solum coram Deo penitere, quia confessio ordinatur ad sciendum judicium, adeoque judicio finito, finitur obligatio Rei, nisi inde imminet damnatum tertio, juxta dicta suo loco. Ita Com. Imò Busemb. lib. 4. cap. 3. dub. 3. num. 2. & Tamb. cit. cum aliis docent, neque teneri ante sententiam, donec iterum interrogetur. Et hoc maxime, si retractatio esset inutilis.

1760. Excipitur casus hæresis ratione scandalii; nam hæreticus convictus debet fateri, & si negavit, tenetur adhuc veritatem manifestare; quia aliàs poenam subiret, ut hæreticus negativus, & ita cum aliorum scandalo. Tamb. cit.

1761. Portellus cit. Tit. Correctio Frat. verb. Reus, num. 3. Contra Sanchez, ait, quod hæreticus negativus jam damnatus, & qui ducitur ad supplicium, non teneatur sub mortali veritatem publicè

fateri, quia nimis durum esset confessorio id ei suadere, cum periculo, ut noller obedire, & cum conscientia erronea credens se teneri; mori. Nec adesset scandalum; quia omnes sciunt, Reos solvere delicta negare, & posse in ultimo articulo mortis sacramentaliter confiteri.

1762. Idem docet num. 6. si metu tormentorum sibi falsum crimen imposuit, ob quod ad patibulum ducitur; nisi adsit spes, quod retractatione liberetur; quæ spes non adest in praxi; quia post latam sententiam non juvat retractatio in causa propria.

1763. Verum tamen est, quod qui ducitur ad supplicium, non debeat absolvi, nisi reveler complicem in causa hæresis formalis, lamiarum, prodicionis patriæ, & notabilis damni tertii, si complicem non sunt emendatis, nec detur certa spes, quod per aliam viam emendentur. Mendo in Epist. verb. Reus, num. 17.

1764. Hinc fit, quod licet in aliis casibus non possit Reus legitime interrogari de complicibus, si sint omnino occulti; & nisi delictum sit tale, ut ex se soleat habere socios; & nisi delictum probato de societate, seu complicata per indicia, aut testes præcedat; tenetur interrogatus, socios manifestare, si crimen sit exceptum, contra communitatem, ut hæresis, proditio patriæ, aut contra tertium, sciens, malum non posse aliter impediri. Port. cit. num. 47. vide tom. 2. à num. 62. Et etiam non interrogatus, si crimen sit hæresis, aut prodicionis patriæ, ut in tom. 2. de Denunciatis, vide num. 1597. 1608.

De Juramento agunt Scotus in 3. d. 39. quæst. unic. cit. A. in 4. d. 28. quæst. unic. lit. C. Quod quæst. 20. lit. S. Maltrius in Theol. Mor. disp. 11. quæst. 3. num. 48. Bonac. tom. 2. pag. 257. Joan. de la Cruz pag. 20. Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 1. Leander tom. 7. tract. 1. Busemb. lib. 3. tract. 2. cap. 2. dub. 1. Tancredi tom. 3. Caltropal. p. 3. tract. 14. Anton. à Spir. S. tom. 1. Alloza, & Mendo verb. Juramentum. Cardenas disp. 17. Clericatus à cap. 37. Gobat tom. 3. p. 2. & alibi in 1. tom.

De restrictione agunt Maffrius disp. 11. quæst. 3. num. 52. Bonac. tom. 2. pag. 267. Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 2. §. 2. Leander tom. 7. tract. 1. dis. 45. Busemb. lib. 3. tract. 2. cap. 2. dub. 4. Cardenas disp. 19. Clericatus cap. 3. Gobat, Ant. à Spir. S. Alloza, & Mendo cit.

AD JURATIO.

1765. **J**uramento affinis est inductio personæ ad aliquid faciendum, vel non faciendum, invocatione alicujus Sancti, aut rei sacræ, v. gr. *Adjuro te Deum vivum per Jesum-Christum filium tuum, ut des mihi salutem animæ, & corporis.* Unde est actus Religionis.

1766. Potest fieri dupliciter per deprecationem, & per imperium.

1767. Ut sit licita, tres requiruntur comites: *Veritas, Judicium, & Justitia.*

1768. Veritas consistit in hoc. 1. Ut adjuratio fiat per verum Deum, & per res verè sacras; unde si fieret per falsos Deos, &c. esset mortalis. 2. Ut res non petatur fictè, sine animo obtinendi; & tunc esset venialis.

1769. Judicium consistit in hoc. 1. Quod adjuratio fiat prudenter, minimè leviter, & sine occasione; & tunc esset venialis. 2. Quod Deus, & Sancti non adjurentur imperativè, sed deprecativè, nec dæmon deprecativè, sed imperativè, quod esset mortale; nam imperium supra Deum, & Sanctos esset injuria, & contemptus deprecatio erga dæmonem esset amicitia, & submissio.

1770. Justitia consistit in hoc, quod res, quæ petitur, sit honesta; nam si mala, adjuratio esset peccatum mortale, aut veniale, juxta gravitatem, aut levitatem malitiae rei.

1771. Possumus adjurare. 1. Deum per se ipsum, per Christum, per Mariam Virginem, per Sanctos uti sibi charos, & per sacra Mytheria, & Passionem.

1772. Non potest autem adjuratio fieri per creaturas inferiores, nisi sint specialiter Deo charæ; sic Exod. cap. 32. adjuratur Deus: *Recordare Abraham, Isaac, Jacob servorum tuorum.* 2. Possumus adjurare B. Virginem, Sanctos, & Angelos per Deum, & Jesum Christum. 3. Dæmonem, & creaturas, per Deum, & Jesum Christum, B. Virginem, Sanctos, & sacra Mytheria.

1773. Creaturæ rationales adjurari possunt directè; irrationales verò, ut animalia nociva, tempestates, fulgura, &c. non nisi indirectè: quia cum non sint rationis capaces, non possunt per adjurationem directè induci, & moveri ad præstandum, quod petimus; sed in quantum à Deo moventur contra nos in pœnam, vel à dæmone in vindictam, ut noceant, nos eas adjuramus, deprecando in ordine ad Deum, vel imperando in ordine ad dæmonem, ut sic Deus miscereatur, & dæmon à nocendo desistat; & hoc pacto dicuntur creaturæ indirectè adjurari.

1774. Creaturas irrationales (rectè ait Josephus Augustinus) posse etiam improprie adjurari per immediatam efficientiam supernaturalem super ipsas, explicatam per imperium metaphoricè dictum; sicut Christus Dominus imperavit ventis, & mari: hoc autem spectat ad virtutem miraculorum.

1775. Licetum est Exorcistæ tractare cum dæmone, & ea omnia petere, quæ ad suum munus, finem, & expulsiorem conducunt; puta de causa ingressus, numero spirituum, &c. & petere ab eo signum, quo existit ostendat. Vide à num. 385.

1776. Quælibet verò alium tractatum ob vanitatem, & curiositatem, puta, si petat scire occultum, &c. esse mortale tenet Castrop. Non plus quam veniale, Sanchez, & Cajet. apud Tamb. lib. 3. cap. 8. §. 2. num. 5. At melius dico cum Tamb. cit. esse mortale: si id fiat sæpè, & per longos sermones; quia

tunc ostenditur amicitia, & benevolentia; quando Apost. 1. ad Cor. 10. ait: *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: Non potestis Calicem Domini bibere, & Calicem dæmoniorum: Non potestis mensam Domini participare esse, & mensam dæmoniorum.* Veniale verò, si fiat raro, & per breve tempus; quod sequitur ex verbis Pauli, ex quibus graviter familiaritas, & amicitia prohibetur.

1777. Licetum est cogere dæmonem, ut malefium tollat, aut signum, quo durante, durat pactum de vexando creaturam; quia id non est uti ope dæmonis in obsequium nostrum, sed nos defendere, & cogere, ut destruat opera sua.

1778. Eadem ratione licet imperare dæmoni Superiori ad coercendum pariter dæmonem inferiorem; licet namque ob nostram utilitatem expellere clavum clavo, Delbene de Inquisit. part. 1. dub. 228. sect. 28. num. 18.

1779. Non potest licitè Exorcista dæmoni expostenti concedere, aut permittere, ut immitatur in alium hominem; quia non est Dominus vite proximi: bene verò, ut immitatur in equum, si ejus Dominus sit dives, & plures habeat, ut pro reparatione salutis obfessi, amissio equi alterius non censetur valde notabile damnum. Secus, si esset cum valde notabili alterius damno. Tancredi tract. 1. de Relig. disc. de Adjur. num. 67. quia nemo tenetur cum gravi suo damno, alterius salutem corporis succurrere.

Tamb. verò cit. cum Castrop. tenet id licere etiam cum gravi damno boni temporalis alterius; quia putat, talem obfessum esse constitutum in extrema necessitate, in qua omnia sint communia.

1780. Licet obfessum in dæmonis contemptum expuere, & leviter percutere. Si autem dæmonem te injuriis afficientem ira accensus graviter in obfesso percussis, peccas mortaliter, & si obfessus est Clericus, excommunicationem incurris, nisi inadvertentia, aut ignorantia excuset; & cum dæmone Clericum suadente diabolo percussis, eique injurias facis, non minus quam excommunicatus es (rectè ait Tamb.) si tamen in sinu domini contra te latrantem advertenter cum domino esse confodias.

1781. Qui exorcizat esse debet Sacerdos, aut saltem exorcistatus ordine insignitus, & de Ordinarii licentia.

1782. Si Laicus id faciat publicè, frequenter cum populi admiratione, & Superiore contradicente, peccat mortaliter. Secus, si privatim, aut si publicè, raro sine admiratione, & contradictione, & ex fide, ac fiducia in Deum; maxime si habeat hanc gratiam gratis datam eos expellendi. Tamb. lib. 3. cap. 8. §. 2. num. 24. dummodo non sit idiota, & ignarus, quia exponeretur periculo, ut deciperetur à dæmone, aut aliqua superstitione uteretur.

1783. Nec diceretur usurpator jurisdictionis Clericalis, sicut nec talis dicitur laicus, qui Missæ inservit, lumina accendit, & urceolos cum vino, & aqua Sacerdoti porrigit, quod est Officium Acolythi; nec qui indignos ab Ecclesia expellit, quod est proprium

prium Ostiarii; non alia ratione, nisi quia munera Minorum Ordinum laici non exercent ex Officio, Clerici verò ad illos promoti exercent ex Officio. Hinc Christus Marci 16. generaliter de veris, & bonis Christianis loquens, ait: *Signa autem eos, qui crediderint, hoc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient.* Et Marci 12. *Unicuique autem datur manifestatio spirituum ad utilitatem: alii, &c. alii gratia sanctorum in uno spiritu.*

1784. Ritè autem prohibetur à Superioribus, etiam Sacerdotibus Officium Exorcistæ sine eorum licentia exercere, ne quis ignarus, imperitus, aut prava vita audeat cum periculo superstitionis, deceptionis, & contemptus, peragere munus, ad quod scientia, peritia, mortificatio, & maxime vite rectitudo requiruntur.

De Adjuratione agunt Tanc. Tamb. cit. & Clericalis pag. 45.

CAPUT III.

DE VOTO.

DEFINITIO.

1785. **V**otum est promissio liberata, & voluntaria facta Deo de meliori bono.

Propositum est sola voluntas faciendi opus: promissio huic voluntati addit voluntatem se obligandi alteri, & in casu voti se obligandi Deo.

1786. Hinc hæc promissio, si cadat supra materiam præceptam, novam obligationem inducit.

1787. Pœnitens, qui à Confessario monitus, ut à peccato v. gr. fornicationis desistat, dicit: *Pœnitentia, me illud amplius non commissurum: regulariter non emittit votum, sed solum manifestare vult suum firmum propositum; quia communiter non intendit in casu transgressionis se obligare ad novum peccatum, sed ad idem contra sextum præceptum.*

Quod si velit expressè se obligare in casu transgressionis ad novum peccatum contra præceptum humanum promissionis se emissæ; tunc emittit votum; quia est promissio facta Deo cum animo se obligandi nova obligatione libera; seu novo præcepto humano à se liberè imposito.

Obligatio autem, quam communiter habet quilibet homo ad vitandum peccatum, est obligatio necessaria, quæ supponit præceptum, unde occurrere non facit præceptum; votum verò facit, imò est præceptum novum; adeoque, qui habens votum castitatis fornicatur, peccat contra duo præcepta, contra præceptum divinum Decalogi de numero sexto, & contra præceptum humanum voti, liberè ab ipso homine sibi impositum, in confessione aperiendum; quia contra duas virtutes, nempe contra castitatem, quam præceptum divinum respicit, & contra Religionem, quam respicit votum.

1788. Qui adstantibus dixit: *Si Deus me servaverit, restituerit, sum Religiosus.* Non fecit votum. Gobat tom. 3. de Voto, num. 15. quia ea fuit sola ani-

mi ostensio facta adstantibus; non promissio obligatoria directè ad Deum. Et sicut similia verba nulli homini directè in humanis negotiis nullam pactum, & nullam obligationem strictam inducunt, ita in religionis.

1789. Dicitur: *Deliberata*, quatenus votens debet plenè advertere, & cognoscere materiam, quam vovet; deliberatio enim importat advertentiam, & cognitionem materiam, cum libero, & expedito interiorum sensuum usu. Hinc si quis existens Panormi, putans D. Jacobum de Compostella distare non plus, quam per centum millaria, voveret ad illum accedere, non teneret votum ex defectu deliberationis circa substantiam voti.

Similiter vota facta cum semiplena advertentia, seu deliberatione, v. gr. ex repetitione animi motu, non valent. Aut si quis voveret semivigilans, vel habens, sensus internos vehementissima passione iræ, &c. perturbatus.

De errore, & ignorantia discurrere, ut de Jramento à num. 1653. Error circa vim voti, v. gr. quod obliget sub veniali, quod obligat sub mortali; & quod possit relaxari, quod relaxari non potest, irritum reddit votum, ex defectu consensu; quia est error circa substantialia. Gobat tom. 1. part. 2. tract. 11. casu 4. num. 109. Vide num. 1822.

Dicitur: *Voluntaria*, hoc est cum libero voluntatis consensu.

1790. Dicitur: *De meliori bono*, in ordine ad suum oppositum. Hinc votum nubendi absolute loquendo non tenet; quia matrimonium non est bonum melius castitate sibi opposita. Dixi absolute; quia id, quod absolute est minus bonum suo opposito, ex circumstantiis hinc, & nunc potest esse majus bonum, ut in num. 1816.

Hinc votum ducendi pauperem, vel meretricem causa pietatis emissum est invalidum, Ant. à Spir. S. tom. 1. disp. 2. sect. 13. quia est impedimentum castitatis, quæ est bonum melius, & Deo gratius recentito titulo misericordiae.

Validum autem est emissum hac cum conditione: *Voveo, casu, quo velim nubere, ducere pauperem*; quia per hoc votum non obligatur quis ad matrimonium, sed quod eo liberè assumpto, sit electurus matrimonio Deo gratius, quale est pauperis.

Dicitur: *facta Deo*, ut in num. 2017.

DIVISIO VOTI.

1791. **D**ividitur in solemne, & est illud, quod acceptatur ab Ecclesia; ut votum castitatis Sacris ordinibus annexum, & professionis Religiosæ. Et simplex, quod talem solemnitatem non habet, sed emittitur privata auctoritate.

Subdividitur in absolutum, quod fit ex amore ad materiam, quam vovet; ut si voveas castitatem ex amore castitatis. Conditionale, quod fit sub conditione, ex affectu scilicet ad habendam, vel non habendam conditionem: v. gr. voveo castitatem, si Deus me liberet